



# BULLA UNIONIS PERPETUÆ BENEFICII

*Ecclesiastici Villa de Tecla, Carthaginensis Diœcesis, Collegio Majori Sanctæ Mariae à JESU, Hispalensi Universitati; pro augmendo congrue quinque Cathedrarum.*

## BENEDICTVS EPISCOPVS SERVUS SERVORVM DEI.

**D**ILECTO FILIO OFFICIÀ-

li Venerabilis fratri nostri Episcopi CARTHAGINENSIS salutem, & Apostolicam benedictionem: Dùm attenta consideratione in dagine perscrutamur, quām pretiosa sit sapientia, meritò ad ea, per quæ nostræ provisionis auspiciis Collegia ad eam docendam instituta congruis facultatibus pro corum debita manutentione muniri valeant, officii nostri partes utiliter converrimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilecti filii nostri Ludovici, Tituli S. PRISCAE, Sanctæ ROMANE Ecclesie Presbyteri Cardinalis, Belluga nūcupati, Nobis nuper exhibita expositiō continuebat, quod in Civitate Hispanensi, quæ una ex primariis Hispanorum Regnorum Civitatibus existit, & in qua tempore Sanctorum fratrum Leandri, & Isidori p̄fatae Civitatis Antistitutum, eorumdemque studio, & magisterio florescere c̄xperunt, magno cum Ecclesie profectu scientia, quæ licet longo temporis intervallo ob infelicem Maurorum incursum siluerant, tempore tamen Catholicorum Regum Ferdinandi, & Elisabethæ renovari c̄eperunt, id promovente illustris memoria Viro Roderico Fernandez à Santaella, tunc dum viveret eorumdem Catholicorum Regum a Confessionibus, ac etiam tunc dum viveret Archiepiscopo Cæsaraugustano, Collegium, quod Universitas simul esset, in quo Philosophia, Theologia, Sacri Canones, Jus Civile, ac alia facultates edoceri possent sub invocatione Sanctæ Mariae à Jesu fundatum fuit, quod Collegium, & Universitatem felicis recordationis Julius PP. II. Prædecessor noster, nedum approbavit, verum & iisdem privilegiis, & gratis, quibus Universitas Studii generalis Salmanticensis utitur, fruiatur, potitur, & gaudet, condecoravit, ac iidem Catholici Reges ad preces Senatus ejusdem

Civitatis Hispanensis dictum Collegium, cui Universitas dictæ Civitatis est annexa, sub unius Rectoris cura moderandum, tamquam Studium generale in suis Regnis fore semper habendum, declararunt, & præcipuis honoribus, & præminentibus illustrarunt, quod & eorum in Regnis Hispaniarum hujusmodi Successores singulis temporibus fecerunt, & Collegium hujusmodi titulo majoris decorarunt, & in eo Personæ, ac Viri nobilitate generis, singularique doctrina, vel in Theologia, vel in Sacris Canonibus prædicti, semper recepti fuerunt, & recipiuntur, ac pergrandem dictæ Universitatis partem constituerunt, in quo dictus Ludovicus Cardinalis Collegialis extitit, & in dicta Universitate Doctorali Laurea insignitus fuit, quodque propterea idem Ludovicus Cardinalis peculiari benevolentia, gratique animi obsequiis semper prosequutus fuit, & prosequitur. Verum quia Universitas prædicta ferè indotata remansit, & Collegium, quod ex sua dotazione supplere expensas multas tenet, ad tantam reddituum, & preventuum diminutionem, injuria temporum devenit, tantisque necessitatibus, & angustiis premitur, ut singularum facultatum hujusmodi Lectoribus, fructuofisque eorum instituti prosecutioni, & exercitio, neque competentem mercédem præstare, neque alia congrua subventionis auxilia subministrare posset, & exinde desiderati in hujusmodi facultatum Studii progressus consequi nequeant, huic malo propterea dictus Ludovicus Cardinalis opportunè propriece cupiens, meditatus fuit attentiùs, & persipdit, quod si perpetuum simplex, & personalem residentiam non requires Beneficium Ecclesiasticum in Parochiali Ecclesia Villa de Yecla, Carthaginensis Diœcesis, quod dilectus filius Antonius Altaró Rúbio, Presbyter Conchenensis, seu alterius Civitatis, vel Diœcesis ad præsens obtinet, ex nunc pro tunc, postquam tamen illud ex Persona.

dicti Antonii vacaverit, cum omnibus bonis, iuribus, & pertinentiis suis, prævia illius tituli collativi suppressione, & extincione, Collegio præfato perpetuo uniretur, annexetur, & incorporaretur, ex hoc profecto, ne dum in præfato Collegio, & Universitate doctissimorum, & in hujusmodi facultatibus exercitatisimorum Virorum concursus, pro ipsis lectionibus habendis, major fieret, verum etiam corum opere, eruditione, & doctrina ibidem Scholastici, tamquam uberrimo divinarum, & optimarum scientiarum Theologiae, & Sacrorum Canonum, aliarumque facultatum hujusmodi majori numero concurrentem, qui instruiri, & edoceri, seque in illis exercere, ac tandem emeritos gradus, & honores consequi, necnon Reipublica decori, & ornamento, sibique, & aliis utiles esse possent. Quare pro parte dicti Ludovici Cardinalis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus feliciori Collegii præfati statui in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, qui Collegiorum itatum felicem, & manutencionem, ac progressum sinceris desideramus affectibus, eidem Ludovico Cardinali speciale gratiam facere volentes, ac quarumcumque aliarum similium, vel dissimilium, si que sint, unionum Collegio præfato hactenus factarum tenores, etiam veriores, ac datas ejusdem Collegii fructuum, reddituum, & proventuum, versus annuos valores, quantitates, ac qualitates, præsentibus pro expressis, ac totaliter insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: Discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis omnibus, qui fuerint evocandi, Beneficium præfatum, cuius, & illi forsan annexorum, fructus, redditus, & proventus centum viginti, una vero cum incertis centum octoginta ducatorum auri de Camera, secundum communem estimationem, valorem annum, ut asservetur, non excedunt, cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, etiam in nostris, vel alterius Romani Pontificis Successoris nostri manibus, vel deceplum, seu privationem, aut aliam dimissionem, vel amissionem, aut Religionis ingressum præfati Antonii, seu alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, pro tempore existentibus, Sedique præfata per quascumque Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicæ regulas editas, vel edendas, aut aliás quomodolibet reservatis, vel reservandis, seu ordinarii Collatoribus, etiam per Constitutiones, & regulas easdem, aut litteras alternativarum, vel alia privilegia, & induita hacenù concessa, & in posterum concedenda, aut aliás quomodolibet competentibus, & competituris, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam præfati Antonii, vel cuiuslibet alterius reservationem de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Testibus sponte factam, aut aseptionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati, vacare contigerit, etiamsi actū nunc, ut præfetur, aut aliás quovis modo vacer, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsumque Beneficium dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliás generaliter reservatum existat, & super eo inter aliquos lis, cuius statum præsentibus habeti volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad Nos hanc vice pertineat, cum annexis hujusmodi, ac omnibus iuribus, & pertinentiis suis, prævia illius tituli collativi perpetua suppessione, & extincione, Collegio præfato pro augmentatione congrua corum, qui Principaliæ res quinque Cathedras in dicta Universitate moderantur, & pro tempore moderavent, & Thelogiam, Sacrosque Canones edocent, & pro tempore edocuerint, nimirum corum, qui Primariam Cathedram Theologie, & aliam Sacra Scripturæ in dicta Universitate in proprietate regunt, ac pro tempore regant, & qui primariam similiter Cathedram Sacrorum Canonum, & aliam, que vocatur, Vesperarum ejusdem facultatis obtinent, & pro tempore obtinuerint, & qui Cathedram Decreti habent, & pro tempore habuerint, cum hoc tamen onere, ut Proprietarii per se ipsos dictas quinque Cathedras regant, ita ut, si id non adimpleverint, seu sine justa, & legitima causa, quæ à Rectore ipsius Collegii, & Confiliariis pro tempore existentibus, approbari semper debeat, per Substitutos velint hujusmodi Cathedras moderari, eam partem lucrari non possint, quam ex fructibus dicti Beneficii percipere debent, sed accrescenda tunc veniat reliquis Cathedraticis, dempta mercede pro Substituto ab eisdem Rectore, & Confiliariis assignanda, quibus incumbere privativerè debeat, una cum duabus Magistris, seu Doctoribus, qui duas Primarias Theologias, & Sacrorum Canonum Cathedras regant, Substitutum hujusmodi

justusmodi nominare, ita quod liceat ejusdem Collegii Rectori, & Consiliariis, nunc, & pro tempore existentibus, praefati Beneficii, ac annexorum eorumdem, juriūque, & pertinentiarum praefatorum cuiuscumque qualitatis, quantitatis, ac etiam annui valoris existentium, corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel alios eorum, & praefati Collegii nominibus propria autoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta universa inde provenientia quācumque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, & dislocare, & in illorum, qui principaliores quinque Cathedras in dicta Universitate moderantur, usus, & utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentia desuper minimè requisita, supportatis rūmen per dicti Collegii Rectorem, Consiliariosque, ac duos Magistros, tēu Doctores praefatos, qui duas primarias Theologiae, & Sacrorum Canonum Cathedras regunt, omnibus, & singulis dicti Beneficii oneribus, cuius redditus inter dictos quinque Magistros, seu Doctores, qui Cathedras moderantur, ita distribuere tenentur, ut omnibus, & singulis Beneficii hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus in duodecim partes divisisi. Tres cum dimidia Cathedram primariam Sacrorum Canonum, due cum dimidia Cathedram primariam Theologiat, due cum dimidia Cathedram Decreti, due Cathedram dictorum Sacrorum Canonum, Vesperarum, nuncuparam, reliqua vero cum dimidia respectivè partes hujusmodi Cathedram Sacra Scriptura respectivè moderantibus Doctribus respectivè assignentur, & distribuantur, ut hoc augmento giudeant supra eam portionem, quam hodie fruuntur, quodque ita fiat, postquam expensæ in hac unione factæ, & usque ad vacationem dicti Beneficii faciendæ, cum redditibus, qui soluti forsitan fuerint, de quibus authenticè constet, soluta plenò omnino sint, & non aliter dicti quinque Cathedratici incipient dictas suas portiones lucrari, & sic ex nunc, prout ex tunc, & è contra, postquam dictum Beneficium vacaverit, ut praefertur, & sine alicuius præjudicio, Apostolica autoritate, carumdem tenore praesentium, perpetuo unias, annexas, & incorpores. Nos enim si unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi per te, vigore carumdem praesentium, fieri

contigerit; ut praefertur, easdem praesentes, nullo unquam tempore, de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis virtio, seu intentionis nostræ, aliquaque quopiam defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, ac individuum mentionem requirente, à jure, vel facto, aut statuto, vel confusitudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, ac etiam quantumvis justa, rationabili, pia, privilegiata, & juridica, etiam tali, que ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimi deberet, notari, impugnari, annullari, invalidari, aut alias quomodolibet infingi, modificari, retractari, retardari, in controversiam revocari, seu ad viam, & terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aliudque quocumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel iustitiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter concessio, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, aut eas etiam per quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, aut Sedem praefatam, aut ejus de Latere Legatos, vel Sedis praefata Nuncio revocari, suspendi, limitari, aut eis in aliquo derogari posse, minusque sub quibusvis similibum, vel dissimilibum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, seu Cancellariæ praefatæ regulis, aut Constitutionibus Apostolicis, etiam unionum, effectum non sortitarum revocatoriorum, etiam per Nos, & Prædecessores nostros, & quocumque Romanos Pontifices Successores nostros, etiam in crastinum assumptiovis cuiuslibet illorum ad Summi Apostolatus apicem sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis pro tempore quomodolibet factis, & emanatis, ac faciendis, & emanandis comprehendendi ultatenus posse, aut debere, sed semper, & perperuo ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, & cum in quo ante quomodolibet erant, statum, restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam sub quavis posteriori data, per dicti Collegii Rectorem, nunc, & pro tempore existentem, quandocumque eligenda, concessas semper perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, & suos plenarios,

rios , & integros effectus sortiri , & obtinere , sique , & non aliter , per quocumque Judices Ordinarios , vel delegatos , quavis autoritate fungentes , etiam causarum Palatii Apostolici Auditores , præfatae Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales , etiam de Latere , Legatos , Vicelegatos , dictaque Sedis Nuncios , in quoeverumque judicio , & quavis instantia judicari , & definiri debere , & quidquid securus super his à quoquam , quavis auctoritate , scienter , vel ignoranter contigerit attentari , irritum , & inane decernimus , non obstantibus una , per quam dudum inter alia voluitus , & ordinavimus , quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri , teneantur exprimere verum annum valorem , secundum communem aestimationem , tam Beneficii uniendi , quam illius , cui uniri petitur , alioquin unio non valeat , & altera Cancellariae præfatae regulis , per quam decrevimus , & declaravimus nostræ intentionis fore , quod deinceps per quamcumque signaturam , seu confessionem , aut gratiam , vel Litteras Apostolicas pro amissionibus mandatis , aut declarationibus in quibusvis causis , etiam si motu proprio , & ex certa scientia , ac etiam ante motam licet à Nobis eminaverint , vel de mandato nostro facendas , nulli jus sibi quæsumus quomodolibet tollatur , necno Lateranensis , & aliorum , etiam Generaliū , & ultimò celebratorum Conciliorum , uniones perpetuas , nisi in casibus a jure permisitis , fieri prohibentium , etiam Concilii Tridentini prohibentium unionem fieri ex Beneficiis Ecclesiarum unius Diœcesis favore . pii operis aliarum

Diœcесum ; & quibusvis aliis Apostolicis , etiam in Synodalibus , Provincialibus , Universalibusque Conciliis editis , vel edendis , specialibus , vel generalibus Constitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis , quibus omnibus , & singulis , etiam si pro sufficienti illorum derogatione , de illis , eorumque totis tenoribus specialis , specifica , expressa , & individua , ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes , mentione , aut quavis alia expressio habenda , seu quælibet alia exquisita forma ad hoc servanda foret , illorum omnium , & singularum tenores , ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso , & forma in illis tradita observata , inserti forent , præsentibus etiam pro expressis habentes , illis alias in suo robore permanens , hac vice duxat , latissimè , & plenissimè , ac specialiter , & expressè , harum serie derogamus , cæterisque contrariis quibuscumque . Volamus autem , quod dictus Antonius in præjudicium dictæ unionis Beneficium præfatum resignare , etiam ex causa permutationis , vel dimittere , seu juri sibi in illo , vel ad illud quomodolibet competenti , cedere tam simplicitè , quam ad cujuscumque personæ favorem , non posset , & quatenus resignet , aut dimitrat , seu cedat , talis resignatio , seu dimissio , aut cesso in dicti Collegii , & non alterius favorem cedat , & eo ipso facta censeatur . Datum Roma apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo . Nono Kalendas Augusti , Pontificatus nostri anno quarto .

LAVS DEO.